DE SANCTO FRANCISCO ASSISIATE ORATIO AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM...

Giuseppe Aluigi



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO

JOSEPHUS ALUIGIUS

FELICITATEM.



Cogitanti mihi, atque eorum memoriam animo repetenti, quae FRANCISCUS Majorum nostrorum aetate gesserit, & quantum praeclaris virtutum exemplis non tam remotas, proximasque Regiones, quam hanc ipsam Urbem, patriamque meam illustrarit, saepe cupido animum incessit, quem Patriae Parentem agnoscerem, Eum aliquo laudationis genere prosequendi, quod & a meis studiis non abhorreret, & tanti Viri dignitatem tueretur. Sed quam

provinciam ingenii tenuitate, & rei magnitudine, atque adeo timore aliquo, ne oneri ferendo impar essem, nondum susceperam, hanc ultro oblatam detrectare non posse me sensi, quin aut parum constantis, aut nimium meticulosi nota inurerer. Ad quem autem adire me oportuit magis, aut cui potius lucubrationem hanc meam decuit noncupari, quam Tibi, P. M., cum in vulgus exiret, atque in manus hominum studiosorum? Nam cum haec de Summi, ac Sanctissimi Viri singulari virtute loqueretur, quem Tui, tuaeque Franciscanae Familiae Patrem agnoscis, ac revereris, & cujus exempla miro pietatis studio es semper imitatus, Tibi debebatur profecto, PATER BEATISSIME. Quamquam non tantum ratione argumenti ad Te pertinebat, quantum quod mei partus ingenii esset, qui primos, qui postremos labores meos, vitamque meam omnem Tibi secundum Deum, cujus Vicariam in nos Potestatem exerces, dedi-

catam

catam velim. Etenim cum totum me Tibi debeam jam inde ex tempore, cum in tuo aere esse coepi, cumque sum in Tuam clientelam receptus, ingratus merito videar, si occasionem ullam sinam praeterire, quin observantiam in Te meam aliquo testatam relinquam monumento. Qui autem possim non singularis beneficii loco statuere potuisse me inter lectissimum Tuorum Cubiculariorum Ordinem cooptari, & gratia, & patrocinio frui non solum ejus, qui Princeps sit Ecclesiae Catholicae universae (quod certe maximum per se est) verum is sit, quem virtus cumularit omni genere laudum, atque ornamentorum, & cui eadem pararit expeditam ad summos omnes honores sine ulla offensione viam? Quas Tuas virtutes eo narrare, & commemorare mitto, quod cum illustres sunt, & singulares, tum in omnium obversantur oculis, & non in totius Italiae, atque Europae modo, sed exterarum etiam Provinciarum auribus quoti-


 die

die perſonant . Equidem haec conſideranti nonnunquam venit in mentem vereri, ut hac aetate poſſim aliquid in medium afferre, Tua non indignum quod ſit amplitudine, & dignitate. Sed praeter quam quod opprimi onere officii ſatius eſt, quam propter imbecillitatem animi deficere; illud quoque me recreat, ac reficit, ab exiguis hominibus nonniſi mediocria eſſe expectanda, tum vero eſſe maximis in rebus conatum ipſum aliquid in laude ponendum. Ceterum quale tandem cumque futurum ſit aliorum judicium, haud moror; eum ſatis, ſuperque foveat ſe lucubratio haec, ſemel atque Nomini commendatam Tuo prodire in vulgus patiare. Quo certe ad beneficia Tua maxima non levem factam in me officiorum acceſſionem & ſentio, & profiteor.

Laudemus Parentes noſtros in generatione ſua. Eccl. 44.

ORA-





UM multae, & praeclarae virtutes, Auditores Amplissimi, Christiano homine dignae, tum vero nulla nec illustrior, nec major Charitate est, quae omnium quasi Regina ceteris antecellere dignitate, atque amplitudine, & facem veluti praeferre videatur. Hanc enim summis laudibus extulit (1) Joannes Evangelista; de hac nobile admodum, magnificumque praeconium (2) Paulus Apostolus literis consignatum reliquit; haec tandem (3) Salvatori nostro adeo cordi fuit, ut huic primas, huic secundas, huic tertias concedere non dubitaverit; perinde quasi huic uni lex tota veluti fundamento niteretur. Quae cum ita sint, quivis sane intelligit, quanto haec reliquis praestat virtutibus, tanto eum, qui illa praeditus sit, ceteris antecellere. Quare cum hodie apud Vos de FRANCISCO verba facturus sim, non alio certe utendum putavi laudationis genere; ratus me tanto Conventu Hominum, ac frequentia magis dignum, & vestrae expectationi, & FRANCISCI laudibus magis consentaneum nihil afferre posse, quam si vobis eximium hunc Virum, ac singularem exhibeam miro, ac vehementi studio hujusce virtutis incensum. Quoniam autem haec virtus res praecipue respicere videtur duas, Deum, & Homines, luce clarius videbitis utraque ita excelluisse, ut multi ab eo superati sint, antecesserit fortasse nemo.

Ac primo ipsum scimus crebris solitum fuisse usurpare sermonibus aurea illa Apostoli Pauli verba: *Si linguis loquar hominum, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens.* Insidebat quippe in homine cupido quaedam,

(1) S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis. (2) Paul. ad Corinth. ep. 1. c. 13. n. 1.
(3) Marci 12. 29. ad 31.; Matth. c. 22. 37. ad 40.; Paul. ad Rom. 13. 10.

quaedam, quae animum noctes, & dies concitabat, atque admonebat, nihil prius animarum salute esse debere; eas quocumque labore quaeri, & etiam, si ita opus esset, vitae impendio comparari oportere. Hinc tanto animi dolore sordes animarum prosequebatur, & scelera, quas purissimo Christi Sanguine imbutas sciebat fuisse, ut maximam, quotidie haec secum reputans, vim effunderet lacrymarum. Hinc Sacros Ecclesiae Ministros colebat, ac reverebatur animo, quod Daemonis servitute mancipatas (1) in libertatem gloriae Filiorum Dei vindicarent, Negabat enim eorum munere sacrificium Deo acceptius esse ullum, praesertim si studio charitatis niteretur. Tantum vero animo hauriebat laetitiae pro earum salute restituta, quantum, ut dixi, de earumdem exitio angebatur, deque malo exemplo, quo pestem norat ad illarum perniciem capitaliorem esse nullam. Itaque ad animarum salutem cum omne studium conferebat, tum ad eas aut a peccato deterrendas, aut ad Deum convertendas incumbebat non verbis solum, sed etiam exemplo, quod est omnium efficacissimum ad virtutem incitamentum. Quod ut melius praestaret, suos ita mores ad Christi exemplar conformandos curavit, ut non tantum quae legis divinae essent, exequeretur; sed perfectiorem quoque illam vitae rationem inierit, quae consiliis Evangelii conformis esset, & consentanea. Rebus itaque omnibus abdicatis, nonnullos eligit sibi Viros, religiosam vitam qui ducerent, unde praeclarae Franciscanae Familiae prima ducta origo est; brevique est assecutus, quod animo intendebat, ut quam ipse tradiderat certis sub legibus vivendi disciplinam, eidem innumeri nomen darent, & longe, lateque per Orbem propagata sit. Id enim habet virtus, ut statim incurrat in oculos, quemadmodum ajebat Plato, & cum mirabiles amores excitet sui, tum alios sua venustate alliciat ad imitandum. Multi tunc, qui a recto virtutis itinere cum deflexissent in suam perniciem ruebant, in bonam frugem revocati; multi, laqueis disruptis, Daemonum servitute liberati; simultates fugatae, odia restincta, fraudes dejectae, vitiorum turba depulsa, virtutes denique omnes, quae consistere amplius non posse videbantur, restitutae, & Catholicae Ecclesiae bonum, & pax, & mira quaedam felicitas illata.

Id nempe fuerat in antecessum divinitus demonstratum INNOCENTIO III., qui tum Romae Sacris, & Divinis praeerat, cum per nocturnam speciem visus est FRANCISCUS dormienti Pontifici Lateranas Aedes fatiscentes, collabentesque suis humeris substentare. Quo monstro duo simul Ecclesiae portendebantur, ut re demonstratum est; Christianam Rempublicam immi-

nenti

(1) Paul. ad Rom. c. 8. 21.

neati quodam, ut tum erant tempora, excidio ruituram fuisse, ni aliquis ruenti aedificio suppetias tulisset; & rursus eamdem, praesenti auxilio divinitus percommode misso, incontinenter restitutum iri. Nec solum dum in vivis egit, profuit hominibus FRANCISCUS factus omnibus omnia, omnes ut Christo lucrifaceret; sed etiam postquam vita functus naturae concessit, maxima ab eo in nos permanat utilitas, quae tamdiu vigebit, donec leges permanebunt a SSmo Viro latae, aut ab eo instituta vivendi ratio, aut ejus Filii, aut Coenobia, aut Urbes, & Provinciae, & Regna, ubi sedes suas ejus Familia florentissima collocavit. Et quoniam ad hunc locum pervenit oratio, quis neget, quaecumque in praesentia habemus a CLEMENTE XIV. P. M. bona, ea uni FRANCISCO accepta referenda esse? Etenim si (quod vere a Spiritu Sancto dictum accepimus) (1) *Gloria Patris est Filius Sapiens*, maxima erit nobis FRANCISCO habenda gratia, quod suae Alumnum disciplinae iis imbuerit praeceptis, institutisque, ut difficillimo tempore summa omnium consensione, summoque Ecclesiae bono Pontifex renuntiatus tanto ferendo oneri par esset, quantum cura affert Christianae Reipublicae universae; & eam praestaret in rerum summa administranda auctoritatem, prudentiam, sapientiam, quae & Sibi laudi esset, & Ecclesiae decori, & Populis utilitati, & suae Religioni ornamento; Et nobis vere maximos illos viros Adrianos, Pios, Innocentios, Benedictos referret, quorum gloria in celebritate versatur omnium Gentium.

Sed ut eo revertar, unde parumper deflexit oratio, licet multa praebuerit nobis, dum vixit, charitatis indicia luculentissima, eo tamen luculentiora fuerunt, quo propius ad mortem accedebat; nullis enim videbatur contineri limitibus posse, qui semper ad summum culmen, & fastigium excitabatur rerum maximarum. Et certe nemo inficias ire potest, ubi majus discrimen subsit, ibi majorem esse charitatem oportere; maximam vero, ubi periculum adeo grave sit, & vehemens, ut non possit nonnisi maxima virtute superari. Hinc cum vitae discrimen sit omnium gravissimum, compertum est (2) Joanne ipso Apostolo docente, majorem charitatem habere neminem, quam qui se, suamque vitam pro Amicorum suorum salute, atque incolumitate devoveat. Sed FRANCISCO, cui pectus incenso charitatis studio flagrabat, ne hoc quidem defuit virtutis argumentum. Namque saepius Martyrii subeundi caussa novus Evangelii praeco (3) ad longinquas regiones discessit, & modo Syriam cogitavit, modo ad Marochii Regna se contulit, modo Babylonem usque perrexit, quo nationes illas uti multitudine innumerabiles, ita immanitate barbaras, Christi Fidem edoceret,

corpusque

(1) Prov. 10. (2) Jo: cap. 15. 13. (3) S. Bonav. in vita.

corpusque suum (quod necesse omnino erat) immolandum carnifici daret. Cujus voti factus utique compos fuisset, nisi aut primo Syriam versus navigantem ad aliud litus eum tempestas, & venti appulissent, aut jam ad Hispanias profecto repentinus morbus consilium medio in cursu interemisset, aut semper contraria aliqua caussa eam ipsi coronam ademisset, quam jamdiu animo, atque opinione praeceperat. Quod maxime ostensum est interim, dum in Asiam proficisceretur, ubi licet omnia arderent armis, & bellorum tumultu personarent, & omnia plena periculorum essent; & licet Regem allocutus suam illi fidem exprobrasset, moriusque contra se arma irritasset, nemo tamen unus hominem vel leviter offendit; ut eo certe tempore carnificis gladius videatur Martyri defuisse, non moriendi libido. Hunc igitur Virum non laudem, non celebrem, non omni gloria cumulandum putem, qui Martyribus ipsis virtute animi antecelluisse quodammodo videatur? Et certe pro quoquam mortem subire ita magnum arguit amorem, ut majorem non possit; sed pluries mortis obeundae pericula adire, longinquas peregrinationes, periculosasque navigationes suscipere, & se in varias dimicationes, & in profligatorum hominum impetus objicere, eorumque irritandorum occasionem aucupari, qui satis sint natura ipsa feroces, quin vel metus; vel vis ulla hominem possit a proposito deterrere; haec qui facit, non summis modo eum Martyribus comparo, sed longe illis anteferendum judico. Etenim Martyres plerumque semel interemptos unam tantum Martyrii palmam consecutos accepimus, sed FRANCISCO, qui saepius mori exoptarit, saepius cum hoste conflictatus sit, non unae sunt certe Martyrii palmae tribuendae.

Multa praetereo consulto, ne, si omnia colligam, in immensum excrescat oratio. Tamen hic omittere nullo modo possum, FRANCISCI charitatem mihi videri scalae illius simillimam, quae dormienti Jacobo se praebuit videndam, per quam Angelorum alii ascenderent, alii descenderent. Hujusce enim veluti gradibus ita utebatur, modo ut ad homines demitteret sese, modo ad summum Coelorum cacumen erigeretur. Nam quis unquam fuit adeo cogitatione in Coelis defixus, ut quamvis mortalis adhuc esset, tamen (1) in patria illa beatissima versaretur? Quis a rebus humanis tam averso fuit animo, ut ad eas dedignaretur vel oculos demittere, & ut vere fateri cum FRANCISCO potuerit, foeminam se vix, aut ne vix quidem agnoscere de facie ullam? Cuinam inter tot impotentiorum animi motuum procellas, ac tempestates placida licuit quiete frui, quae nec fluctuum sono, nec ventorum vi undique perstrepentium minimum

(1) S. Paul. conversatio mea in Coelis est.

minimum turbaretur? Quotus quisque enim est, qui se corporis laqueis possit exsolvere, quibus veluti carcere, ut liberaretur (1) Apostolus flagitabat? Id tamen videbatur jure quodam suo FRANCISCI virtuti reservatum. Quare Hominem accepimus sola Divini Amoris appellatione vehementer spiritu commoveri solitum, nec Christi charitatem secum animo reputasse unquam (incredibile autem dictu est quam crebro id faceret) quin se sensibus abriperet; quod cum saepe alias, tum vero ostendebat maxime, quando coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento genibus obvolutus, ita magna contemplatione mentis defigebatur, ut vix hominis imaginem praeseferret. Quod mirificae in Deum charitati acceptum referri debet, a qua & nomen invenit; Seraphicus enim merito & habitus, & appellatus est. Quid? Nonne rerum vel sensu, & ratione carentium aspectus ei satis erat, ut quibusdam veluti gradibus per eas ad contemplationem erigeretur ejus, qui illas fabricatus, & architectatus est? quem enim toto pectore deperibat, eum, ut amantes solent, ubique praesentem intuebatur, & omnia, quae suis obversabantur oculis, Prophetae (2) vocibus compellabat, & ut Dominum, Satoremque suum magnificarent, hortabatur. Compertum enim illi erat quod tanto ante pronunciavit (3) Apostolus, invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, conspici.

Sed haec quamquam magna sint, atque praeclara, sunt tamen cum aliis FRANCISCO fortasse communia. Illud, quaeso, in mentem revocate, Auditores, monstrum ingens, & memorabile, quod post homines natos nullo unquam ante FRANCISCUM vidit aetas, nulla in posterum delebit oblivio. Etenim tametsi haud me lateat, amoris id esse, ut amans (quo ad ejus fieri potest) illius rei naturam induat, quam amore prosequitur; tamen arbitror esse non tantum rei ipsius, quam modi rationem habendam, quo id fiat, qui rudis plerumque solet esse, atque imperfectus. Verum non ita ferrum igne vehementer excandens fit ignis non absimile; non ita aquae gutta mero permixta vini refert colorem, saporemque mirum in modum, nullo ut pacto distingui, aut secerni queat; quemadmodum FRANCISCUS ingenti amoris vi induere visus es Imaginem Christi pene parem, atque simillimam. Quod portento illo mirabili ostensum est, cum oranti FRANCISCO super Montem excelsum, cui Alverniae nomen, & amore insolito in Deum abrepto, videre sibi visus est Seraphinus (4) sex igneas quasi alas habens, qui hominis Cruci suffixi speciem, & imaginem referebat. Quae quidem alae de manibus, pedibusque Seraphini procedentes, dum ad totidem FRANCISCI corporis partes pertingerent, mirabili monstro factum est, ut eas

(1) Ad Rom. cap. 7. 24. (2) Psal. 148. (3) S. Paul. ad Rom. c. 1. 20. (4) S. Bonav. in vita.

cas ita admota flamma permearet, ut totidem cruenta vulnera inflicta, clavosque simul in utroque impressos pede, palmaque reliquerit. Quae veluti in Christo indicia erant maximi amoris, quo fuerat homines prosequutus, ita in FRANCISCO fuisse ardentissimae in Deum charitatis luculentissima signa recte esse dicemus; ut hoc solum inter utraque vulnera discrimen intercesserit, quod illa, Deo volente, Carnifices inflixerint, haec Christus ipse sub Seraphini e Coelo delapsi specie, nova quadam ratione inusserit; in altero cum amore crudelitate, in altero amore cum charitate decertante. Quae vero erit unquam adeo felix ingenii vena, quae ita magna scribendi, dicendique copia, quae, non dicam exornare, sed referre digne possit ejusmodi charitatis triumphum? Illud scio tum primum licuisse FRANCISCO ea Stygmata Jesu Christi in suo corpore intuenti, cum Paulo dicere (1) *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*; quoniam Christus amore illius incensus FRANCISCUM simillimum sibi jussit esse, ut qui tam proxime insolito mentis ardore ad Christum accessisset, in corpore Christi amoris indicia praeferret.

Gaude igitur isthoc tam insigni, atque excellenti bono, quo tantum ceteris hominibus praestas, quanto es illius similior effectus, a quo facile terrena, & coelestia superantur. Gaude, inquam; hoc enim signo vinces, & non solum Daemonum incursus repelles, sed totam Inferorum turbam in nos saepe irruentem, atque excidium minitantem effundes, atque prostrabis. Sed inter gaudia isthaec, quibus in Coelorum sede beatissima frueris, in mentem veniat tibi, quaeso, nostrae hujus Civitatis, quae tui Patria amantissima per me tibi gratulatur, & hujusce diei celebritatem insolita frequentia colit, veneraturque. Parietes ipsi Templi hujus Sanctissimi gestire mihi videntur, & laetius eximiis tuis laudibus personare, quod, te vita functo, a fundamentis erecti, gloriosissimum Corpus tuum suo exceperint sinu, possideantque adhuc. Sed finem faciam dicendi. Vos, Patres Conscripti, ceterique amplissimi Cives, eam pietatem in FRANCISCUM tueamini, quam a Majoribus accepistis, eamdemque servandam religiose posteritati tradite; &, quod caput est, cujus admiramini gloriam, ejus res praeclare gestas imitemini; & quem olim socium, & Concivem habuimus, eo semper Patrono utamur benevolo, ac liberali. Dixi.

(1) Paul. ep. ad Galat. c. 2. n. 20.

